



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Iudæos post Iosue ab auita pietate deficientes bellis flagellatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Iustin. lib. 1. buère Sardanapalum; de quo Iustinus ista memoria prodidit. Fuit hic omnis generis luxuria deditus: nec erubuit, inter scortorum greges nere, & muliebri habitu feminas omnes lascivia anteire. Quamobrem indignati Assyrii tali famina parere, duce Arbace desciscentes, bellum Sardanapalo intulerunt. Qui victus in regiam se recepit, & extructa pyra, se atque divitias in incendium misit. Sic ille per bellum, cum illo opes, voluptates, diademata, & omnis regia pompa in fumum & cineres abierunt. Et quis est, qui non canat

Iuuenal. Sat.

De Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali?

3.

Cic. lib. 5.

Tuscul. Dio.

lib. 3. Iustin.

1.1.

Dio lib. 17.

Iustin lib 11.

& 12. Plutar-

ch. in Alex.

and.

Ipsè certè sibi, teste Tullio, moriens hoc condidit epitaphium: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*, talibus nimirum, qui cælum suum in hac vita habuerunt. Ne talem autem Sardanapalum dumtaxat fuisse putemus, multò latius se se extendit mensura peccatorum Assyriæ regno permilla. Nam eam statim implere cœpit Ninus, seu Ninias Nini primi filius, qui à patre penitus degeneravit, perinde quasi luxuria cum matre Semiramide certaret. Regni administrationem Præfectis commisit: ipse delicijs effeminatus consenuit in coetu mulierû, perniciosiore etiam exemplo, quàm instituto. Nequitie suæ imitatores triginta deinceps Assyriorum reges habuit, alium alio nequiores, qui omnes perinde ac sinati non essent, in tenebris ac silentio iacuerunt, verbo Reges, re autem vera mancipia voluptatis. Summa denique omnis nequitie in Sardanapalum, tamquam in Camerinam quamdam, confluit; in quo fuit mensura peccatorum completa. Quare naturæ terminum, aut hostilem manum non expectavit, sed sibi ipsi manus violentas intulit. Rege sublato, regnum quoque ipsum Assyriorum eversum est à Persis. Sed neque Persarum luxus duravit. Alexander quippe Magnus, Thessalorum, Græcorumque sociorum armis adiutus ad Persicum bellum, traiecit in Asiam; parvâ, sed firmâ manu innumerabilem hostium multitudinem deleuit, Darioque rege tribus prælijs debellato, Asiam subegit, & à Persis ad Macedones imperium traduxit. Ita Græcorum regnum effloruit; à Romanis vicissim attritum. Romanorum denique imperio, quid accidar, prò dolor, experimur. *Cut accidar, è sacris historijs, & exemplo Iudeorum, discamus.*

II.

Nam Iudæi tempore Iudicum postquam in terram promissionis

sonis pedem posuerunt, deliciarum impatientes, impinguati, in-
 crassati, Creatoris, Liberatorisq̄ sui, & tot prodigiorum obliti,
 auerterunt se à veritate. Nec defuit vindex Deus; qui vt eos in-
 viam reduceret, bellis flagellauit. Quotiescumque enim, patrijs
 legibus desertis, ritu Gentium, Deos alienos coluerunt, à Deo ca-
 stigati, hostibus obiecti, & seruituti subiecti sunt: quoties autem
 isti respuerunt, ac per pœnitentiæ opera ad Dominum, ex animo
 reuersi sunt; tamquam benignus Pater, illorum ærumnis motus,
 Ducem egregium suppeditauit, qui eos ab hostium violentia libe-
 rarer, restitueretq̄ in pristinum statum libertatis. Quod intra
 quingentos annos, cùm sub Iudicibus essent, septies illis euenit.
 Siquidem septies illo annorum spatio idolis seruerunt; quare sep-
 ties & illi in seruitutem dati sunt. Rursumq̄ septies ad Domi-
 num per pœnitentiam recurrentes, iterum septies quoque liberati
 sunt. 1. Iosue ac senioribus, qui diuinorum prodigiorum ocu-
 lati testes fuerant, Iudæosq̄ in auita religione conseruârunt, de-
 functis, tamquam pecus, custode remoto, errare cœperunt, &
 relicto Dei cultu, ritibus idolorum Baalim & Astaroth se se subie-
 cerunt. Quapropter irritatus Dominus, eos iugo subdidit Chu-
 san Rasathaim regis Mesopotamiæ, cui proinde octo annorum
 interuallo seruerunt. Sicut felicitas facit recalcitrantes, ita af-
 flictio docet sapere. Igitur cùm tandem illis ea seruitus vehemen-
 ter molesta esset; accederentq̄ Sanctorum virorum exhortatio-
 nes, dicentium, ob peccata illos & Idola sua in eam calamitatem
 incidisse; culpam agnouerunt, veniam petiuerunt; auxilium cœ-
 leste inuocarunt. Neque frustra. Vt enim viderent, quàm mise-
 ricors esset Deus, miseratione oppressorum tactus eduxit in lu-
 cem Othoniel, fratrem Caleb minorem: fuitq̄ in eo Spiritus Domini,
 & iudicauit Israël. Egressusq̄ est ad pugnam, & tradidit Dominus in
 manus eius Chusan Rasathaim regem Syria, & oppressit eum. Quie-
 nitque terra quadraginta annis. Vidimus pœnam & medicinam
 belli: audiamus culpam. Filij Israël, ait sacer textus, habitauerunt
 in medio Chananai, & Hethai, & Amorrhai, & Pherexai, & Henai,
 & Iebusai: & duxerunt uxores filias eorum, ipsiq̄, filias filijs eorum
 tradiderunt, & seruerunt djs eorum. Feceruntq̄, malum in conspectu
 Domini, &c.

Deuter. 32.
 15 Leonard.
 Less lib de
 Prouid. Num-
 minis Ratio-
 ne 14.

Iudic. 3. 9.

Ib. v. 9.

Ibid. v. 5.

Numquam